

sentia (nam cur animata excipiat nulla ratio redi potest) in magnitudine (videlicet mathematica) figura, situ, & motibus, consistit, sequitur nihil in ea substantiale esse, sed ex meris modis eam componi, & eorum quandam congeriem esse.

5. Materiam corpus esse, nec Mathematicum sed Physicum, negari non potest, nec modos illos ei accidere inficias quisquam it, quos etiam sola ratione ab ea differre (quod Regius ait Phys. p. 2. haud invitus dabo, sed subjectum eorum modorum qui negat & extensionem v. g. sine subjecto & per se existere posse (quod idem ibidem facit) affirmat, quamquam è locis Cartesianis supra citatis id hausit, tamen repugnat iis, quæ idem rectius tradidit Med. 489. FIGURÆ inquiens, corporis, & Motus, sunt TANTUM MODI, qui per nullam potentiam sine ipso possint existere.

6. Si ergo stultum esset dicere, in animali nihil aliud esse quam stationem, sessionem, cubationem &c. Et modos illos subjecto carere ac per se subsistere, sanè idem de hisce materiæ modis judicandum est.

7. Neque tantum in naturam, sed & in religionem injuria est hæc opinio sequitur enim ex ea, Virginem Deiparam non corpus naturale, sed Mathematicum, & lineas tantum ac superficies
pepe-